



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 66. Malaca a Ferdinando capta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

portune usus, Granatam urbem occupat, Sæcul. XV.
A.C. 1487.
 ipsis etiam Oratoribus, quos Muleyus nuperrime ad procurandam pacem ad Boabdilem miserat, ad subigendam urbem non infimam opem conferentibus; hos enim juvenis Rex antea blanditiis sibi dexterrime devinciebat: Vix autem urbe potitus, se præsentem omnes Patrum sui fautores jugulari præcepit, missisque ad Ferdinandum & Isabellam nunciis eos de prospero armorum successu certiores reddidit, pro omnibus tamen Mauris suæ fidei addictis securitatis gratiam efflagitavit, simul pollicitus, se trigesima post die, qua Ferdinandus urbes Almeriam, Bacam & Guadicem, quo ejus Patruus confugerat, armis suis subegisset, Granatensem etiam urbem Catholicæ suæ Majestati traditurum; Annuit Ferdinandus & Isabella omnibus Boabdilis precibus.

§. LXVI.

Malaca a Ferdinando capta.

Interea Velientes, præcisa omni auxilii *Marian. ib.*
 spe, pactis conditionibus sese dederunt; cum vero Malacæ arcis præsidarii strenue Hispanorum impetus sustinerent, hinc toto armorum apparatu illius obsidio urgebatur, tandemque arx vi capta est: hujus urbis jactura plurimas alias eo-
Hist. Eccles. Tom. XXX. Y dem

Sæcul. XV. dem fato involvit; unde Ferdinandus &
A.C. 1487. Isabella totius Granatæ Regni, quod occidentalem plagam respicit, dominio potiebantur, Malacæ autem præfecturam Garziæ Fernandez Manrique demandabant. Malacitana hæc victoria tam ampla Christianæ Reipublicæ incrementa contulisse videbatur, ut Romæ festivi ignes excitati, ac publicæ lætitiæ signa ubique edita fuerint. Ipse summus Pontifex ad Ecclesiam S. Mariæ de populo nuncupatam, ut Deo grates ageret, perrexit, ibidemque rem divinam ritu solemniter celebravit. Ferdinandus etiam summo Pontifici centum Mauros ferreis catenis onustos, velut victoriæ testes dono tradidit, qui partim Cardinalibus, partim præcipuis Romanis Proceribus distributi fuere. Cum autem jam antea plures Neophyti in suos errores relapsi Malacam confugissent, ut Censuram fidei severitatem, poenasque effugerent, Papa S. R. E. Vice-Cancellarium, & Balvem, ambos Cardinales, designavit, qui in eos inquirerent, illosque debita poena afficerent: hinc eorum plusquam duomillia Valentia & alibi combusta referuntur.